EPIGRAMMATA DUO, QUIBUS COMES PIE DEFUNCTUS INTRODUciturſic loquens.

PRIUS.

SPiritus in cœlo meus eſt: exanguia membra
Terra tegit: nomen per loca multa volat.
Uxorem DOMINO *commiſi & pignora lecti,*
Et natis terras & mea cuncta meis.
Hos Deus alme tuo ſic dirige flamine, eorum
Ut regimen laudi ſerviat omne tuæ.

POSTERIUS.

NOn victus acrimoniâ
Ingentium cruciatuum,
Quos, adjuvante numine,
Patienter omnes pertuli,
Cúm morbus invaleſceret,
Mei reliquit ſpiritus
Ergaſtulum corpuſculi.
Imó dolor patientiâ
Quam mi Deus conceſſerat
Precibus fatigatus meis,
Victus, nihil juris meum
In pectus habuit. Omnium
Sed morbus atrox viſcerum
Robur labefactans; fabricam
Senſim reſolvit corporis,
Et ſpiritui hoſpitium negat.
Quod ille ſentiens, lubens
Volensq; ceſſit, & poli,
Per numinis clementiam,
Receptus eſt in atria.
Speraverat hoc, ardentibus
Precibusq; flagitaverat,
Per unicum natum patris,
In corpore quám diu fuit;
Nec ſpe ſua fruſtratus eſt.
Ingeſta tellus interim
Cadaver integit meum,
Donec noviſſimo die
Dei excitatum dextera
Animæ hoſpitium reddat ſuum.

Johan. Pincier Medicinæ D. & Profeſſor, gratitudinis ergó F.